

quo ab intestato pater & filius simil succedunt alteri filio, pater non habet usumfructum in parte & portione alterius filii cohæredis, ut in *dictis juribus*: ergo eadem ratione, quando extraneus instituit ipsum patrem & filium ejus in sua hæreditate, non debet habere usumfructum in illa parte & portione filii instituti. Confirmatur, quia ex voluntate & dispositione defuncti ista videtur regularis natura & effectus institutionis, ut uterque hæres simpliciter institutus æqualiter succedat in proprietate & usufructu: ergo in nostro casu pater & filius simpliciter instituti ab extraneo, admittantur viriliter in suis partibus, tam in proprietate, quam in usufructu, & in expresso pro hac sententia & conclusione facit text. in *dict. Authent. item hæreditas, versic. fin.* cujus verba sunt: *Et forsitan si aliunde queratur, leg. Prædicta*, & in terminis istam sententiam & conclusionem tenet ibi Gloss. ordinaria final. in 2. intellectu. Salyc. & Paul. de Castr. Sed, his non obstantibus, contrarium est tenendum, imò, quod pater habeat usumfructum in parte & portione filii cohæredis: & ita tenet Jacob. de Aret. in *dict. Authent. idem hæreditas*, & ibi Cin. Alber. Angel. Philip. Corne. & magis communiter DD. Nec obstat text. in *dict. vers. fin.* quia secundum eos refertur ad superiorem Authentic. Excipitur, & debet esse ejus finis.

14 Item adde, quod in casibus in quibus pater habet usumfructum in bonis filii virtute patriæ potestatis, efficitur per legem legitimus administrator prædictorum bonorum, & potest in iudicio, & extra iudicium omnia agere, tanquam si esset dominus eorum: adeò quod non requiritur aliquod decretum vel autoritas judicis, & quod iudex decernat sibi licentiam & facultatem administrandi; sed statim ipso jure per legem efficitur legitimus administrator in prædictis bonis: text. est capitalis & expressus in *leg. 1. versic. 1. Cod. de Bonis matern.* cujus verba sunt: *Omnes debent tuenda rei diligentiam adhibere, & quod jure filiis debetur in examine per se vel procuratorem poscere, & sumptus ex fructibus impigre facere, & litem inferentibus resistere, atque ita omnia agere, tanquam solidum perfectumque dominium eorum eis acquisitum fuisset, & personam gerant legitimam*; & ibi ad hoc notat & commendat Gloss. ordinaria & communiter DD. & idem disponit *leg. 5. in fin. titul. 17. part. 4.*

15 Et in tantum hoc est verum, ut finito usufructu legitima administratione, non teneatur pater reddere rationem prædictæ administrationis, nec pro culpa & negligentia ejus bona patris sunt tacite hypothecata: text. est in *leg. Cum oportet. §. Non autem hypothecam, Cod. de*

*Bonis, qua liber.* cujus verba sunt: *Non autem hypothecam filii familias adversus res patris viventis adhuc, seu jam mortui, sperare audeant, nec ratiocinia ei super administratione inferre*: & ibi notant & commendat Bart. Odofred. Cin. Jacob. Bald. Angel. Salycet. Paul. Philip. Corn. & communiter DD. Unum tamen est, quod eo casu quo pater alienavit bona mobilia & immobilia filii, potest filius ea à quolibet possessore petere & vindicare; & bonis non inventis vel repertis, potest pretium & æstimationem ab ipso patre & ejus successoribus petere, & pro hoc habet bona patris tacite hypothecata: text. est in *dict. leg. Cum oportet, §. fin. Cod. de Bonis, qua liber.* & ibi communiter DD. Nec obstat text. qui videtur huic contrarius, in *dict. §. Non autem hypothecam.* Quia debet intelligi, quod bona patris non sunt tacite hypothecata pro administratione culpabili, quia nec pro ea personaliter tenetur: secus verò pro administratione dolosa, ut est bona propria filii scienter alienare; quia hoc casu bona patris sunt tacite hypothecata: & ita debet intelligi text. in *dict. §. fin.* & ita tenet & declarat Gloss. ordinaria in *dict. §. Non autem, in gloss. 1. in fine*, & ibi Cin. post Richard. Matth. in *dict. leg. Cum oportet, 2. column. 4. oppos.* Jacob. Butr. Bart. Bald. Salycet. Paul. Philip. Corn. & communiter DD.

16 Advertendum tamen, quod licet ita sit de jure communi; tamen hodiè de jure regio videtur dispositum, quod si pater alienat bona adventitia filii quæ administrabat, mobilia vel immobilia, etiam si reperiantur penes tertium possessorem, non potest filius petere nec vindicare ab eo prædicta bona, sed tantum potest agere contra patrem vel ejus successores ad pretium & æstimationem eorum: nisi talis filius sit hæres patris; quia tunc pro ea parte pro qua est hæres, non potest agere: ita expressè disponit nova & singularis *leg. 24. titul. 13. part. 5.* ad quam cogita responsum. Item adde, quod talis pater non tenetur facere inventarium; quia non sunt simplices & nudi administratores, imò habent magnum jus in prædictis bonis: Item, quia lege non cavetur: Item, quia tantum tenentur facere inventarium, qui de jure tenentur reddere rationem, & sic se habet consuetudo: ita notabiliter Cin. in *dict. leg. Cum oportet, fin. column. quest. penult.* Bald. in *dict. §. Non autem, ejusdem legis*, & ibi alii DD.

17 Item adde, quod eo casu, quo usufructus bonorum filii non quæritur patri ex qualitate rerum, vel quia est emancipatus, potest esse ejus tutor vel curator, & tenetur reddere rationem & facere inventarium sicut extraneus: ita probat text. in *leg. Licet, Cod. ad leg. Falcid.*

&amp;

## TEXT. XLIX.

& ibi tenet Bald. & alii DD. text. in *leg. Si superflite, Cod. de Dolo*, & ibi etiam Bald. & DD. text. in *leg. Aurelius, §. Titius, ff. de Liber. legat.* & per ista jura ita tenet Bald. in *leg. Cum oportet, §. fin. Cod. de Bon. qua liber.* & ibi Paul. de Castr. Philip. Corn. & alii DD. idem Bald. in *leg. Orphanotrophos, Cod. de Episc. & Cler. 2. column.* idem Bald. in *leg. His qui, ff. de Tutor. & Curator. datus ab his, Jas. in leg. Prases, 2. col. Cod. de Transactio.*

18 Dubium tamen est singulare in materia: Si pater qui est legitimus administrator filii ex causa justa & necessaria à jure permessa, vendat vel alienet aliquam rem immobilem ipsius filii minoris 25. annorum, an requiratur decretum & autoritas judicis? Et videtur quod non, quia patria potestas plus debet operari & majorem effectum habet quam potestas tutoris vel curatoris; & quia lex multum confidit de patre: & in expresso isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem tenet originaliter Azor. in *Summa, Cod. de Bonis, qua liber. 2. column. in medio, num. 11.* & illud dictum sequitur & reputat unicum & non alibi Bald. in *leg. fin. §. Sin autem as alienum, in fin.* & ibi Paul. & Philipp. Corne. *Cod. eodem titul.* idem Bald. in *leg. 1. ff. de Rebus eorum, 1. column. in medio*, & ibi Raph. Cuman. 2. column. idem Bald. in *leg. Prases, Cod. de Transact. 1. quest.* & ibi Paul. de Castr. Alexand. & alii DD. Jas. in *leg. Singularia, ff. Si cert. pet. 8. column. num. 14.* Sed, his non obstantibus, ego teneo contrarium, imò, quod requiratur decretum & autoritas judicis: Primò, quia cum talis venditio vel alienatio fiat nomine ipsius filii minoris, & favore minoris inductum sit quod in alienatione rerum immobilium requiratur decretum, & iste casus non reperitur exceptus, sequitur quod in eo etiam requiratur decretum. Secundò, quia in eo casu quo pater est tutor vel curator filii minoris, quia non habet usumfructum in bonis filii, vel quia filius est emancipatus, requiritur decretum & autoritas judicis in venditione vel alienatione rei immobilis, ut in *leg. Si pupillorum, §. Si pater, ff. de Rebus eorum*, & in *leg. Cum emancipatus, Cod. de Præd. min.* ergo similiter requiratur in nostro casu, quando pater est legitimus administrator filii: & isto fundamento & consideratione ita tenet Salycet. in *leg. Prases, Cod. de Transact.* & ibi singulariter & melius quam alibi Jas. ubi late fundat & examinat; & videtur tenere Bald. in *leg. Generaliter, 2. column. num. 3. Cod. de Secund. nupt.* Et licet ista videatur verior opinio in puncto juris, tamen superior est tenenda tanquam communis.

MAndamos, que el que contraxere matrimonio que la Iglesia tuviere por clandestino con alguna muger, por el mismo hecho él, y los que en ello interviniere, y los que de tal matrimonio fueren testigos incurran en perdimiento de todos sus bienes, y sean aplicados à nuestra Camara, y sean desterrados de estos nuestros Reynos, en los quales no entren so pena de muerte; y que esta sea justa causa para que el padre, y la madre puedan desheredar si quisieren à sus hijas, que el tal matrimonio contraxeren: lo qual otro ninguno no pueda acusar, sino el padre; y la madre, muerto el padre.

Id est: *Præcipimus, ut qui cum aliqua contraxerit matrimonium, quod Ecclesia clandestinum judicaverit, eodem facto, simul cum iis qui interfuerint, & qui ejusmodi matrimonii testes fuerint, incurrant in amissionem omnium suorum bonorum, quæ applicentur ad nostrum cubiculum: atque ab his nostris Regnis exulent, nec reddeant sub mortis pena: Et hæc sit justa causa, propter quam pater, & mater, si velint, possint filias exheredare, quæ ejusmodi matrimonium contraxerint: quod nemo alius possit accusare vel ad iudicem deferre præter patrem; aut matrem, defuncto patre.*

## COMMENTARII

## In Legem XLIX.

## SUMMARIUM.

1. Matrimonium clandestinum quid sit?
2. An ista l. potuerit fieri à nostro Principe.

Nota ex ista lege tres conclusiones: Prima, quod illi qui contraxit matrimonium clandestinum, & mediatores & testes incurrun ipso jure penam confiscationis bonorum & exilii perpetui. Secunda conclusio: Quod ista est justa causa, per quam pater vel mater potest filiam exheredare. Tertia conclusio: Quod solus pater potest accusare prædictos delinquentes; & mortuo patre, sola mater, & non alius de populo, nec iudex ex officio.

Pro cujus perfecta intelligentia & declaratione dico: quod matrimonium clandestinum est illud, quod fit occultè, & sine licentia parentum

tum sub cuius sunt potestate, vel proximo- rum, qui eorum curam habent, & sine benedictionibus Ecclesie: & tandem hodie clarius, quando celebratur matrimonium non facta prius solemnibus denunciatione in Ecclesia parochiali per presbyterum ejus, denuntiando illud inter eos contrahendum, & assignando terminum, in quo si quis sciat impedimentum subesse, veniat ad illud proponendum & declarandum: text. est in cap. *Aliter*, & per tot. 30. *quæst.* 5. text. hodie formalis & expressus in cap. *Cum inhibito. de clandest. despons.* & ibi tenet Gloss. ordin. & communiter DD. (e) Et aliter facientes, & tali matrimonio interessentes, tam laici, quam Clerici, peccant & puniuntur, licet matrimonium in substantia valeat & teneat, ut ibi disponitur. Ex quo deducitur & inferitur, quod si hodie, prout communiter fit, matrimonium fiat in facie Ecclesie & congregatione fidelium in præsentia multorum, non dicitur clandestinum, nec habet locum prædicta pœna: & in terminis ita tenet Abb. Panorm. in dict. cap. *Cum inhibito. 1. col. num. 9.* nimis commendando, & dicens quod hoc aperit multum intellectum illius text. cum materia: & sequantur communiter alii DD. (f) ex quibus resultat, quod hoc casu, tantum quando verè realiter & propriè matrimonium dicitur clandestinum secundum dispositionem juris Canonici, habet locum ista lex & ejus pœna: & hoc firmat expressè nostra lex.

Maximum tamen & necessarium dubium est, an ista lex potuit fieri à nostro Principe, & debeat servari in nostro regno? Et reperio, quod passus & articulus est adeo dubius, quod quælibet opinio contraria potest bene & juridicè fundari: Et videtur quod nullo modo valeat nec sit servanda; quia Princeps, Rex, vel Judex sæcularis non potest aliquid disponere nec statuere circa matrimonium vel spiritualia, argumento text. in cap. *Cum inferior, de major. & obed. cum simil.* & ita tenet notabiliter Abb.

(e) Vide etiam Matienz. in leg. 1. titul. 1. lib. 5. gloss. 1. num. 1. Magister sententiarum in 4. distinct. 28. cap. 2. & ibi Theologi: Soto *quæst.* 1. column. 1. Alphons. à Vera-Cruce, in *Speculo conjugiorum*, 1. part. art. 10. in princip.

(f) Neque etiam, si banna seu proclamationes, aut denunciations non procedant, ut testatur Joan. Lupus Segoviens. in tract. de *Matrim.* 2. part. principali, num. 16. Sylvester, verb. *Matrimonium*, 2. in fin. Alphons. à Vera-Cruce, in *Speculo conjugiorum*, 1. part. art. 16. penult. column. versic. *Considerandum*, Palud. in 4. distinct. 28. *quæst.* 2. art. 3. concl. 3. Palac. Rub. in cap. *Per vestras*, 3. notabili, §. 21. num. 14. de *Donat. inter virum*, Covarrub. in *Epitome de Sponsal.* 2. part. cap. 6. num. 10. Joan. Major in distinct. 27. *quæst.* 1. Navarr. in *Manuali*, cap. 22. num. 68.

(g) Itaque tenet Afflicis in *Constit. Neapol.* lib. 3. rubr. 19. in simili leg. Neapol. *matrimonium clandestinum impediens*, & Palac. Rub. hic, num. 1. Castill. column. 4. versic. *Quapropter*. Cifuent. & Gomez Arias num. 39. Gregor. in leg. ult. gloss. ult. titul. 3. part. 4. Covarrub. pluribus auctoritatibus & rationibus in *Epitome de Sponsalibus*, 2. part. cap. 6. num. 17. Alphons. à Castr. lib.

Panorm. in cap. 1. de *Spons.* 2. column. num. 7. & 8. ubi expressè dicit, quod corriguntur omnes leges civiles contrarium disponentes; & ibi magis communis opinio; & hanc dicit magis commun. opin. Alexand. in *Rubr. ff. Solut. matrim. fin. column.* & quod idem Alexand. in leg. *Sejus Augerius. ff. ad leg. Fal. 2. column. num. 4.* Roderic. Suar. in leg. 2. titul. 1. lib. 5. *Ordin. fol. 65. column. 2. quæst.* 1. ubi plenè loquitur, & tandem distinguit, an nubat digno vel non. Sed his non obstantibus, ego teneo contrariam sententiam, imò quod ista lex potuit fieri, & debet servari: & hoc tali potissimo fundamento: quia quando lex civilis non se intromittit, nec aliquid determinat super substantia matrimonii, vel super spiritualibus, sed tantum procedit coadjuvando, declarando, & ampliando ipsum jus Canonicum ad majorem observationem ejus in his, quæ sunt prohibita & punita de ipso jure Canonico, potest licitè & justè facere & disponere; argumento text. in cap. 1. & in cap. *Super. eod. de cognat. spir.* & in expressò ita tenet Gloss. singularis & ordinaria in cap. *Cum secundum II. hered. in 6. in verb. Certoque casu*, & ibi Ioann. Andr. Domin. & commun. DD. Bart. per text. ibi, in leg. *Edicimus, Cod. de Murilegulis. lib. 11. Bald. in leg. 1. §. Jus nat. ff. de Just. & jur. 2. column. num. 4. idem Bald. in leg. Omnem fin. column. & quæst. Cod. ad Tertul. idem Bald. in Rub. extrá, de *const. final. column.* idem Bald. in cap. *Tenor. de Re jud. Ludov. Roman. in Rubr. ff. Solut. matr. 2. lectur. fin. column. num. 39.* Palac. Rub. in *Repet. cap. Per vestras. fol. 89. column. 2. versic. Has autem leges, cum pluribus aliis*: & istam opinionem approbat hodiè nostra lex, quæ videtur justissima propter evitanda tot damna & incommoda quæ ex adverso sequuntur, seducendo puellas & virgines nobiles, ut nubant indigno & pauperi: Nec aliquam vim facio in communi opinione nec in multitudine auctorum, sed tantum in fundamento & ratione. (g)*

TEXT.

TEXT. L.

LA ley del Fuero, que dispone que no pueda el marido dar mas en arras á su muger de la decima parte de sus bienes, no se pueda renunciar; y si se renunciare, no empargante la tal renunciacion, lo contenido en la dicha ley se guarde, y execute, y si algun Escribano diere fé de algun contrato en que intervenga renunciacion de la dicha ley, mandamos, que incurra en perdimiento del Oficio de Escribania que tuviere, y de allí adelante no pueda mas usar de él, so pena de falsario.

Id est:

Lex Fori, qua disponit ne maritus possit in Arram matrimonii dare uxori ultra decimam partem bonorum, renunciari non possit; quod si renunciatur, non obstat quin quod in ea lege continetur observetur & fiat. Quod si tabellio, qui præ fidei fecerit alicuius contractus, in quo interveniat renunciatio prædictæ legis, præcipimus ut incurrat in amissionem Officii Tabellionatus quod habuerit, nec deinceps possit eo nisi sub perisura pœna.

TEXT. LI.

SI la muger no hubiere hijo del matrimonio en que interviniere promission de Arras, y no dispone expressamente de las dichas Arras, que las haya el heredero, ò herederos de ella, y no el marido, ora la muger haga Testamento, ò no.

Id est:

Si mulier non habuerit prolem ex matrimonio in quo intervenerit Arra promissio, nec expressè dispositum fuerit de prædicta Arra, veniat ad illius heredem, aut heredes, & non ad maritum, sive condas mulier Testamentum, sive non.

TEXT. LII.

Qualquiera esposa, ora sea de presente, ora sea de futuro, suelto el matrimonio, gane, si el esposo la huviere besado, la mitad de todo lo que el esposo le huviere dado

ante de consumado el matrimonio, ora sea precioso, ò no: y si no la huviere besado, no gane nada de lo que le huviere dado, tornase à los herederos del esposo: pero si qualquiera de ellos muriere despues de consumado el matrimonio, que la muger, y sus herederos ganen todo lo que seyendo desposados le huvo el esposo dado, no haviedo Arras en el tal casamiento, y matrimonio; pero si Arras huviere, que sea en ascogimiento de la muger, ò de sus herederos ella muerta, tomar las Arras, ò dexarlas, y tomar todo lo que el marido le huvo dado siendo con ella desposado: lo qual hayan de escoger dentro de veinte dias despues de requeridos por los herederos del marido; y si no escogiere dentro del dicho termino, que los dichos herederos escojan.

Id est:

Quacunque sponsa, vel de presenti, vel de futuro, si conjugium fuerit dissolutum, & sponsus eam fuerit osculatus, lucretur mediam partem totius, quod sponsus illi dederit ante consummatum matrimonium, sive pretiosum vel non: Quod si illam non fuerit osculatus, lucretur nihil ejus quod ei dederit, sed redeat ad sponsi heredes. Verum si eorum quisquam decedat post consummatum matrimonium, uxor & ejus heredes lucrentur totum quod, dum sponsi erant, sponsus illi donaverit, si Arra defuit in ejusmodi conjugio aut matrimonio; verum si Arra intervenit, sit ad uxoris electionem, aut ea defuncta, illius heredum, accipere Arram, aut ea demissa, totum retinere quod ei maritus dederit dum esset sponsus. Ea verò electio fiat intra viginti dies postquam fuerunt à mariti heredibus requisiti: quod si non elegerint intra prædictum terminum, heredum mariti sit electio.

TEXT. LIII.

SI el marido, y la muger durante el matrimonio casaren algun hijo comun, y ambos le prometieren la dote, ò donacion propter nuptias, que ambos la paguen de los bienes que tuvieren ganados durante el matrimonio; si no los huviere, que basten à la paga de la dicha dote, y donacion propter nuptias, que lo paguen

lib. 1. de *Justa hereticorum punitione*, cap. 26. concl. 2. Alphonsus à Vera-Cruce in *Speculo conjugiorum*, 3. part. art. 20. concl. 1. in fin. no licet verò post Concilium Trident. non debere hujus legis prænam praticari, assit Matienz. in dict. leg. 1. titul. 1. lib. 5. *Recop. glos. 7. num. 5.* cum clandestinum matrimonium aliter contractum, quam præsentè Parocho, & duobus testibus, sit ipso jure nullum, ut in cap. de *Reformatione matrimonii*, sess. 24.

de por medio de los otros bienes que les pertenecieren en qualquier manera: pero si el padre solo durante el matrimonio, dota, ó hace donacion propter nuptias á algun hijo comun, y de tal matrimonio huviere bienes de ganancia, de aquellos se pague en lo que en las ganancias cupiere; y si no las huviere, que la tal dote, ó donacion propter nuptias se pague de los bienes del marido, y no de la muger.

Id est: Si maritus & uxor, dum in matrimonio fuerint, communem filium matrimonio junxerint, atque ei ambo promiserint dotem, aut donationem propter nuptias, ambo solvant ex iis bonis qua in suo matrimonio acquisiverint: Si ea non suffecerint, ad predicta dotis, aut donationis solutionem, solvant ex aliis bonis qua ad utrumque quavis alia ratione pertinuerint: Verum si solus pater durante matrimonio dotaverit, aut donationem propter nuptias fecerit communi proli, & ex eo matrimonio fuerint aliqua acquisitionis bona, ex eis solvantur quatenus acquisitiones tulerint: quibus deficientibus, ejusmodi dos sive donatio solvantur ex bonis mariti, non uxoris.

## COMMENTARII

## In Legem L. LI. LII. &amp; LIII.

## SUMMARIUM.

- 1 Quibus modis fiat donatio in jure nostro inter maritum & uxorem?
- 2 Quid sit sponsalitia largitas, & quis sit ejus effectus?
- 3 Si ista donatio, qua vocatur sponsalitia largitas, fiat inter sponso, quid acquirat sponsa per osculum, & quid per copulam?
- 4 An sponsa acquirat hodie per osculum medietatem donationis, quando donatio continet res pretiosas, puta vestes, & ornamenta, & alias res valde pretiosas?
- 5 Si sponsus dedit sponsa vestes & ornamenta pretiosa tempore nuptiarum & velationum, an possit per osculum acquirere medietatem, & per copulam totum?
- 6 Si inter sponso intervenit osculum vel copula antequam aliqua donatio fieret, & postea sequatur ista donatio, an in isto casu per osculum acquirat medietatem, & per copulam totum?
- 7 Si ista donatio sit invalida juris prohibitione, an sponsa acquirat medietatem donationis

- per osculum, & totum per copulam?
- 8 Si sponsa de præsenti vel de futuro ingredietur religionem, an per osculum acquirat medietatem donationis, sicut acquireret per mortem mariti?
- 9 Alia est donatio, qua vocatur ante nuptias, vel propter nuptias, & quis sit ejus effectus?
- 10 In quo conveniat ista donatio cum dote?
- 11 In quo differat à dote?
- 12 Alia est donatio, qua vocatur arrha, & quis sit ejus effectus?
- 13 Ista donatio qua vocatur arrha, an excedat decimam partem bonorum?
- 14 Sponsus vel maritus minor 25. annis, an possit promittere vel dare predictas arrhas, & an possit se restituere?
- 15 Alia est donatio, qua vocatur dos, qua datur ad sustentanda onera matrimonii.
- 16 Quis sit effectus hujus dotis?
- 17 Si mulier contrahat matrimonium simpliciter, an videatur in dubio omnia bona sua in dorem dare?
- 18 Ista dos habet in se tacitam conditionem, si matrimonium sequatur.
- 19 Dos potest incipere à traditione & promissione.
- 20 Si constante matrimonio uxor tradat simpliciter marito certam quantitatem, nulla expressa causa, an valeat in causam dotis?
- 21 Si filia habeat bona ex linea materna, vel ex alia parte, & pater promissit dotem dare filia, an teneatur dare de proprio patrimonio & substantia patris?
- 22 Si pater sit debitor filia, vel haberet ejus bona in sua administratione, an promittendo dotem teneatur pater dotare filiam de suo patrimonio?
- 23 Si mater vel ascendens, qui non habet filiam in potestate, promittat dotem, an videatur promittere tantum bona filia?
- 24 Si mater vel extraneus promittat dotem, qua excedit patrimonium & substantiam filii vel filia, an residuum teneatur de suo patrimonio solvere?
- 25 Si pater vel mater simul promiserunt dotem filia, qualiter teneantur?
- 26 An pro dote promissa possit obligari fidejussor?
- 27 Quando dos incipit à promissione, an transeat dominium sine traditione?
- 28 Si pater vel extraneus dedit dotem, cui debet restitui soluto matrimonio?
- 29 An promissio, vel legatum pro dote, sit conditionale, vel purum?
- 30 An propter dotem non solutam marito, licitè debeantur usurae?
- 31 Si dos non solvitur marito, an possit & teneatur maritus alere uxorem?

- 32 Si maritus vindicavit res dotales, & victus fuit per sententiam diffinitivam, an soluto matrimonio mulier possit eas petere à reo absoluto, vel ab actore qui obtinuit?
- 33 An maritus constante matrimonio lucretur fructus rerum dotalium?
- 34 Si extraneus dedit dotem pro muliere, & stipulatus est dotem sibi reddi, an constante matrimonio possit exigere dotem, viro vergente ad inopiam?
- 35 Si maritus post restitutionem dotis efficiatur dives, an recuperet dotem?
- 36 An res empta ex pecunia dotali efficitur dotalis?
- 37 Quae actio competat uxori pro petenda dote à marito vel ejus heredibus?
- 38 Quo tempore incipiat ista tacita hypotheca, qua competat uxori pro recuperanda dote?
- 39 An mulier virtute tacita hypotheca praefertur aliis creditoribus habentibus expressas hypothecas?
- 40 Si mulier habeat expressam hypothecam posteriorem pro dote, an praefertur aliis creditoribus habentibus expressam anteriorem?
- 41 An tacita hypotheca & jus prelacionis competat mulieri pro donatione ante nuptias?
- 42 Si dos consistit in specie vel re inanimata, quia uxor dedit pro dote res mobiles vel immobiles marito, an soluto matrimonio transeat dominium in uxorem?
- 43 Si soluto matrimonio non possit constare an res mobiles sunt consumpta absque culpa mariti, an maritus teneatur valorem solvere?
- 44 Si dos consistit in re vel specie estimata, an transeat dominium in uxorem?
- 45 An istud jus hypotheca competens mulieri, transeat ad heredes?
- 46 Soluto matrimonio, intra quod tempus debeat solvi dos uxori?
- 47 In tempore quo non solvitur dos, an maritus vel heredes lucretur fructus?
- 48 In tempore in quo non solvitur dos, an uxor possit alia marito vel heredibus ejus?
- 49 An maritus teneatur restituere dotem in totum, vel in quantum facere potest?
- 50 An in dote exigenda debeat attendi locus vel domicilium mariti vel uxoris?
- 51 An & quando possit maritus repetere ab uxore vel heredibus expensas in rebus dotalibus factas?
- 52 An dos confessa probat receptionem dotis?
- 53 An causa dotis sit mixti fori?
- 54 An à sententia lata in causa dotis appellari possit?
- 55 Si inter conjuges matrimonium est prohibitum, an mulier possit repetere dotem?
- 56 Si matrimonium est nullum, an soluto matrimonio dos putativa habeat privilegia dotis vere?

- 57 An res dotalis possit alienari per maritum vel uxorem constante matrimonio, interveniente juramento?
- 58 Si mulier primò juravit non vendere nec alienare res dotales, & postea vendit & jurat, an talis contractus valeat?
- 59 An uxor soluto matrimonio possit vendere vel alienare res dotales?
- 60 An fidejussor qui intercessit pro re dotali vendita, teneatur & obligetur, re evicta per mulierem?
- 61 Si maritus vendidit rem dotalem sine consensu & juramento uxoris, & postea soluto matrimonio vendicetur ab ipsa uxore, an maritus teneatur de evictione?
- 62 Si mulier constante matrimonio de licentia viri vendidit, an soluto matrimonio confirmetur talis donatio?
- 63 An maritus vel alienans rem dotalem possit eam vindicare?
- 64 Aliquando inter maritum & uxorem fit donatio simplex, qua vocatur donatio inter virum & uxorem.
- 65 An ista donatio confirmatur morte donantis?
- 66 Casus in quibus valet donatio inter virum & uxorem.
- 67 Si donator in vita vel morte revocat predictam donationem, & donatarius qui eam recepit, eam consumpsit, & non possidet eam, an revocatio aliquid operetur?
- 68 An concubina possit aliquid donari?
- 69 Aliquando fit inter eos reciproca donatio medietatis bonorum acquisiteorum constante matrimonio.
- 70 An in dubio bona praesumantur super lucrata constante matrimonio?
- 71 Cui pertinet fructus qui supersunt soluto matrimonio?
- 72 Casus in quibus medietas lucrorum non acquiratur mulieri?
- 73 An lex fin. titul. 4. lib. 5. Ordinamenti, procedat in alienatione facta titulo donationis?
- 74 Si maritus alienavit bona in fraudem uxoris, ut non acquirat medietatem, quod remedium habeat uxor ad eam recuperandam?
- 75 Si diversa statuta vel consuetudines sint in domicilio & loco mariti, & diversa in loco uxoris, quid domicilium & locus erit inspicendus?
- 76 An dominium & possessio hujus medietatis transeat ipso jure in uxorem?
- 77 An communicentur predicta lucra in matrimonio putativo, sicut vero?
- 78 Si post matrimonium contractum proprietates con-